

in æterna Dei cognitione continetur cum poenitentia, tum remissio peccatorum. Illa vero in fide consistit, quæ Christum apprehendit, inq; illo & per illum Deum agnoscit, Dei omnipotentiam, amorem, misericordiam, justitiam, veritatem, sapientiam; quæ omnia est ipse Deus, itemq; Christus & Spiritus sanctus; idque non absolute solum & sua natura, sed respective etiam, & mei intuitu per gratiosam suam voluntatem in Christo. Quo pacto mihi est Deus omnipotens, mihi misericors, mihi æterna justitia per gratiam & remissionem peccatorum, mihi item æterna veritas & sapientia. Nec alia est ratio cum Christo, qui factus est mihi æterna omnipotentia, omnipotensque caput & princeps vitæ, Servator meus misericordissimus, charitas perpetua, justitia immutabilis, veritas & sapientia; juxta illud I. ad Cor. I. *Christus factus est nobis sapientia à Deo, & justitia & sanctificatio & redemptio.* Quæ omnia & singula etiam de Spiritu sancto pari modo dicuntur. Atq; hæc est vera Dei cognitio, quæ in fide consistit, nec mera scientia est, sed hilaris, viva atq; efficax fiducia, per quam Dei omnipotentia divi-

*Quis sit
Deus.*

*Vera
Dei co-
gnitio.*

divi-